





1618, 4<sup>b</sup>  
DISPUTATIO  
DE  
ÆSTIMATIONIBUS.

QVA M  
Deo juvante & fortunante

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi & Consultissimi Viri,*

Dn. ORTOLPHI FOMANNI

J. U. D. Facultatis Juridicæ in Academia Jenensi  
Senioris & Prof. pub. nec non provincialis Curia &  
Scabinatus ibidem Assessoris digniss. pro-  
motoris sui observandiss.

*Pro summo gradu in utroq; jure consequendo,  
publicè discutiendam proponit:*

CHRISTOPHORUS PINCKERUS

MISNENSIS,

*Ad diem 13. Junij.*

*Jena, TYPIS IOHANNIS VVEIDNERI.  
ANNO M. DG. XVIII.*

A

VIRO MAGNIFICO, AM-  
plissimo, Clarissimo & Consul-  
tissimo:

Dn. THEODORO MÖ-  
STELIO, J.U.D. JUDICII APPEL-  
lationum, quod Dresdæ habetur, Af-  
fessori primario, Consuli item  
& Scabino Lipsensi  
eminentiss.

Patrono & promotorimeo omni obser-  
vantia studio perpetuum hono-  
rando

Hanc disputationem inaugurem

Offert & dedicat:

Christophorus Pinckerus,  
Misnensis.



# DE AESTIMA- TIONIBUS.

THESES I.

**C**um debitores sæpè justam causam afferant, ob quam rem debitam utiq; præstare non possint, tūm quod ea peremta, tūn quod in alterius sit dominio, nec, nisi immenso precio redimenda; æquissimum est, ex ea causa præstari æstimationem.

I. Si domus 71. §. qui confitetur 3. de leg. i. Succedit enim æstimatio loco rei, & pro ipsa habetur, l. Si ipsares 18. in fin. D. quod met. causa. l. quemadmodum 38. D. de nox. act. l. Si alius sus. 42. §. i. in fin. D. usufr. l. fin. C. de fideic. libert.

Fit autem æstinatio pro subjecta re-

A 2 rum

rum & contractuum, ex quibus illæ debentur, materia diversimodè.

III:

Nam ratione contractuum aliud tempus inspicitur, cùm æstimatio rei ex contractu stricti juris debitæ facienda est: aliud, cum res ex judicio bonæ fidei debetur.

I V.

Ratione rerum alia æstimatio legibus est definita: alia officio judicis, alia jumento partis, alia deniq; boni viri arbitratu determinanda.

V.

Quando mercis ex contractu stricto debitæ æstimatio iniri debet, subdistinguitur, an obligationi dies adjectus fuerit, nec ne.

V I.

Ubi dies adjectus est, æstimatio fit inspecto eo tempore, quo dari debuit. Et hoc

hoc commune est tam bonæ fidei, quam  
stricti juris judiciis.

Ratio, quia ex diei adjectione apparet, id actum  
fuisse inter contrahentes, l. vinum 22. de reb. cred. l. ult.  
de cond. tritic. l. Si Calendis 11. de re jud. l. quoties 59. de  
V. O. l. hominem 37. mandati. Et facit ea adjectio tem-  
poris, ut promississe videatur debitor, quanti credito-  
ris interforet, si ad diem non solveretur, d. l. Si Ca-  
lendis. l. si fundum certo die 114. de V. O.

VII.

Si dies noni est adjectus obligationi,  
præcisè inspicitur tempus litis conte-  
statæ.

d. l. vinum 22. de reb. cred. l. Sed mibi 3. §. in bac de-  
cione 2. D. Commodat. d. l. hominem. l. ut. D. de cond. tri-  
tic. Ratio assertionis hujus ea est, quæ Papiniano po-  
tissimum placuit, quod quale quid est, cum petitur, ta-  
lectiam dari debet, l. 2. ff. de usur.

VIII.

Quo casu valdè controvertitur, An  
etiam moræ sit habenda ratio? Statuimus,  
nec ejus, quæ præcessit, nec ejus, quæ secu-  
ta est litis contestationem, ullam haberi  
rationem.

Illi propterea, quia licet mora intervenerit, si-  
ve per judiciale, sive per extrajudiciale interpella-

tionem commissa, tamen nec usuræ, nec interesse debentur. Nihil enim amplius est in obligatione praeter ipsam rem, aut quantitatemi, quæ debetur, *i. 3. C. de usur. l. Titius 24. de prescr. verb.* Et sicut in strictis iudicis non locus est officio judicis, *l. quicquid astringendæ 99. de V. O.* ita nec mora potest inducere ubiores præstations, & facere, ut plus sit in condemnatione, quam obligatione principali, quia omnis obligatio æstimatur, viresq; suas accipit ex eo tempore, quo contrahitur, etiam tunc, quando contrahitur sub conditione, *l. filius familias 76. de V. O.* Unde nec æstimatione, quanti plurimæ res fuit à die moræ, in condemnationem deduci potest, quia quemadmodum semel tantum debetur frumentum, quod non nisi semel in obligatione positum est, *l. si sterilis 21. §. cum per venditorem. D. de act. enti*, ita in eo æstimando non nisi unius temporis præcisæ ratio haberi potest,

Moræ quæ secuta est litis contestationem, ideo non potest haberi ratio, quia novatio illa, quæ per contestationem fieri dicitur, non immutat naturam obligationis, ex quâ primò agi cœptum est, sed manet ejusdem conditionis actio, *l. alias 29. D. de novationibus.*

**Quando species debetur ex contractu stricti juris, æstimatione ejus sit inspecto moræ commissæ tempore.**

Hic

clamur. Nam in hunc. ex. 2. dicitur al. hominem debet  
Hic enim periculum subest, ne species pereat,  
eaq; perempta debitor liberaretur, contra l. hominem  
37 ff. mand. quod alias contingit, si ante moram com-  
missam perierit, l. sex legati 23. l. servum 91. s. sequis-  
tur, de V. O. l. qui decem 72. de solut. Hinc apparet ratio  
differentiae, ob quam aliud in mercie, & aliud in specie  
debita receptum videmus, quia illa functionem reci-  
pit in suo genere, nec potest perire, ut species, l. incen-  
dium 11. C. sc̄ cert. per. Deinde sit tantum minoris es-  
timationis, non vero deterior. Cum autem res dete-  
rior redditur, perinde habetur, ac si redditum non esset,  
l. sed mibi 3. §. 1. ff. Commod.

X.

De fructibus hoc loco quæritur, an in  
condemnationem veniant? Affirma-  
tur.

Quamvis enim fructus jam percepti & à solo se-  
parati sint, accessiones fundi, nec fundus ipse aut pars  
ejus, l. fructus 44. de R. V. l. fundi 17. de act. emt. ideoq;  
nec debeantur ex contractu stricti juris, si stricto & sum-  
mo jure agatur; tamen iuxta l. 2. & l. videamus 38. §. 7.  
de usur. ex æquirate receptum est, ut prætentur tanquam  
causa, id est, quod actor habiturus erat, si petitionis  
tempore tem debitam accepisset, l. Julianus 17. §. 1.  
l. preterea 20. D. de rei vind. Nam fructus ex fun-  
do percepti ipsi fundo accepto fertuntur, l. in fidei  
commissaria 18. ad S. G. Trebell. & sunt accessiones

mon

natur.

naturales, quod in usuris & eo, quod interest, secus se  
habet, quia usuræ magis ex jure, quam ex re percipiun-  
tur, l. *sinapis* 62. de R. *Vind.*

X I.

Sires fungibilis debeatur ex contra-  
etibus bonæ fidei, inspicitur non solum  
tempus litis contestatæ, sed etiam rei judi-  
catæ, si eo tempore pluris res fuit.

l. 3. S. in hac, ff. *Commod.* l. 3. S. ult. D. de act. emt.  
Ratio hæc est, quia in bona fidei judiciis non tam in-  
spicitur, quid debeatur, quam quid ex bona fide præ-  
stari æquum sit, l. *Lucius* 24. l. *bona fides* 21. ff. *Depos.* l.  
quia tantundem 7. *junctio* S. ult. l. *precedentis*, ff. de neg.  
ges. Apertissimè autem æquum est, præstari credi-  
tori, utro tempore res pluris fuit, quia sive data esset eo  
tempore, quo dati debuit, haberet eam creditor: Si da-  
ta non esset, saltem hodiè dandum est, quod jam ante  
dari oportuit, l. *Sisterilis* 21. S. Cum per venditorem 3. de  
act. emt.

X II.

Hoc loco in dubium vocatur, an in  
æstimanda merce ejus temporis, quod in-  
ter moram, quæ per judicialem interpella-  
tionem commissa est, & condemnatio-

nem

nem intercedit, ratio haberi debeat? Negatur.

Quia aestimatio quanti plurimi non potest ad aliud tempus accommodari, quam quo vel petitur, vel adjudicatur, l. 2. de usur. l. Si Calendis II. in fin. de rejud. Habetur enim pro re ipsa, quæ debetur. Unde fit, ut rem ipsam quidem peti oporteat, sed tamen aestimatio præstetur, l. 91. §. ult. de V. O. l. fundum 28. de novat. Deinde, quia totum medium tempus debitori quamlibet moroso immune est à periculo præstandæ majoris estimationis, non verò à præstationibus accessionum à judice propter moram secundum distinctiones diversaq; qualitates actionum adjudicandarum, l. vi. de amiss. 38. junct. al. mora 32. §. in bona fidei, ff. de usur.

X III.

Præcedenti cohæret hæc quæstio, an non ejus estimationis usuræ saltem aut interestesse à tempore moræ debeat? Et hoc negatur.

Usuræ non debentur, quod, quamdiu res judicata non est, ignoratur, quid & quantum futurum sit in debito. Nam in debito id esse intelligitur, quod est in judicato, l. Si fundus 16. §. Si pluris D. de pign. in quo condemnationem quoq; ad tempus rei judicata, si debitum eo tempore pluris esset, dirigi oporteret. l. 3. §. in hac ff. Commod. l. 3. §. ult. de att. emt. Deinde, cum non entis nullæ sint qualitates, nullæ quoq; possunt

B                    usuræ

usuræ esse ejus rei, quæ nondum debetur, nec certa est.  
Insuper etiam debitori imputari non potest, quod ante sententiam non obtulerit debitam quantitatem, quia ignoravit eam. Mora enī in solvenda merce contracta est, non autem in ejus aestimatione, unde etiam usuræ deberi non possunt, l. cum quidam 17. §. si pupillo, ff. de usur.

Interesse quod spectat, exigi nec illud poterit, nisi quando solutioni locus & dies dictus est, & ratione pecuniae debetur, l. 3. D. de eo, quod cert. loc. d. l. Si Calendis.

XIV.

Si species ex contractu bonæ fidei debita peremta fuerit, & ejus aestimationem praestari oporteat, itidem inspicitur, an litis contestatae, an verò rei judicatae tempore pluris fuerit: hoc saltem excepto casu, quando ea periit post sententiam.

Tunc enim aestimatio ad tempus mortis referri debet, sed ita, ne novissimum vitæ instans spectetur, l. pen. D. de cond. tritic.

XV.

Hic dubitatur, an aestimatio ejus hominis, quem pro me quis dari fidejussit & solvit, si mandati agat, ad fidejussionis, an verò solutionis tempus referenda sit? Solutionis tempus inspici debere asserimus.

Ratio.

Ratio assertionis nostræ hæc est, quia cum mandatarius neq; lucrum, nec damnum, quod pro alio suscepit, ferre debeat, l. idemq; 10. S. si ex fundo & seq. D. mandati, l. ex mandato 20. eod. hoc solummodo inspicendum est, quid ei absit, l. inter 26. S. abesse & §. præterea, juxta l. si verò 12. S. simibi mandaveris, l. si quis alicui 27. §. impendia & paß. D. cod. Quod melius sciri nequit, quam si ad tempus solutionis æstimatio referatur.

Aliud est, cum interveniat stipulatio, quia tunc non solutionis, sed litis contestatae tempus inspici debet, juxta l. hominem 37. mand.

#### X VI.

Superiori confinis est illa notabilis & à Doctoribus ambiguè disceptata quæstio, An, cum quis mercem in diem stipulatus fidejussorem acceperit, stipulationis an verò fidejussionis tempus in æstimatione observandū sit? Rationi juris magis cōséctanea videtur hæc opinio, ut id tempus spectetur, in quod, ut solveret, se obligavit.

l. cum quis 23. de O. & A. Facit, quod hac in parte eadem loci & temporis est ratio, l. ult. de cond. trit. d. l. vi. num 22. de reb. cred.

#### XVIII.

Sed speciem primò puta fundum aut aliud quiddam, mox quanti illud sit, stipulatus cuius temporis æstimationem

B 2

con.

consequatur, quæritur? Statuimus eam,  
quæ fuit tempore contractus.

*l. fundum Cornelianum 28. de novat.* Ibi enim  
obligatio præstandæ æstimationis statim oritur, illius  
non immerito habetur ratio, maximè quando ita con-  
cepta est. *lipulatio.*

XVII.

An verò aucta post condemnationem  
æstimatione debitor liberetur per-  
solvendo eam, quæ fuit tempore con-  
demnationis, non ineptè quæritur?  
Negatur.

Quia semel condemnatus quotidiè condemnari  
intelligitur, quo usq; satisfaciat judicato, exemplo  
eius, quod traditum est de fure *in l. in re 8. §. 1. de cond.*  
*furt.* Deinde quia injuria victori fieret, si quando-  
cunq; post sententiam præsentem æstimationem pe-  
teret, nec audiretur, quam tamen aliàs haberet, si de-  
bitor condemnatus judicato paruisse, aut perperam  
provocasset, *l. 3. de usur.*

XIX.

De arbitrariis judiciis certum est,  
quod in iis æstimatio eodem fiat modo,  
quo in bonæ fidei judiciis.

*Ratio, qui in illis tantundem potest arbitrium*  
*judi-*

judicis, quantum in his ejus officium, aut in strictis ho-  
minatim facta interrogatio, l. quia tantundem 7. de neg.  
ges. l. Titius 34. de præc. verb.

X X.

Et hæc quidem generaliter de æsti-  
mationibus in strictis & bonæ fidei judiciis  
ineundis dicta sufficient. Videamus  
nunc in specie de rerum quarundam  
æstimationibus.

X X I.

Legitimæ, quæ ex ascendentium bo-  
nis debetur descendantibus, & contra,  
æstimatione lege definita, & pro numero li-  
berorum vel triens est vel semis portionis  
ab intestato contingentis.

l. cum queritur 6. l. parentibus 8. & l. que nuper 31.  
C. de inoff. test. Idg. etiam de jure Sax. observatur. In quo-  
tamen singulare est, quod ex iis feudis, quæ pro pecu-  
nia ex venditione bonorum allodialium & quidem  
omnium redacta noviter emta sunt, liberis, cum duo  
sunt vel tres, quartæ, aut, cum quatuor vel plures sunt,  
triens loco legitimæ cedit, per Nov. Conf. Elect.

X X II.

Ubi legitima in nummis testamento

B 3

relicta

relicta est, quorum æstimatio alia fuit testamenti facti, alia mortis, alia petitionis tempore, solum testamenti tempus inspicitur.

L. uxorem 41. §. testamento, de leg. 3. l. si ita esset 7. de auro & arg. leg. Cum enim testamento facto idipsum præstandum sit, quod præstari testator voluit, non de alia nummorum æstimatione cogitasse dici potest, quamquam quæ tunc erat, cum testabatur.

XIII.

Quando verò ab intestato debetur ei, qui vel per propriam renunciationem, aut qua alia ratione exclusus est, tunc attenduntur tempus mortis.

Anteriorius enim tempus hoc casu nullum est, quod spectari possit, quia legitima debetur ex comparatione portionis hereditaria. De hæreditate verò queri non potest vivo patre, l. 1. S. si impubere D. de collat. bon. l. cum queritur 6. C. de inoff. test. l. 2. §. ult. ff. de his qua ut indignis auf.

XIV.

Num verò in ponenda ratione legitimæ actionum hæreditariarū facienda sit æstimatio, non incongruè queritur?  
*Affirmatur.*

*Æstimatio*

**A**ëstimatio tamen ea hoc modo fieri debet, ut non  
inspiciatur, quid tandem post varios litium anfractus  
ex iis redactum sit, sed quanti ab initio vendi & aëstimati  
ri potuerit, deducto scilicet dubii eventus periculo & sum  
tuum metu, l. eo tempore 50. & l. quod debetur 51. D. de  
pecul. Actionis enim emolumenatum illud intelligen  
dum est, quod superest deductis sumtibus litis in eam  
rem vel instituendæ vel institutæ, quemadmodum etiæ  
fructus dicuntur deductis expensis, l. si quid possessor 51.  
§. sicut autem, l. beres furiosi 51. D. de petit. ber. cum simil.

XXV.

Dotis non eadem est, quæ legitimæ,  
aëstimatio.

Quamvis enim nonnulli dotem congruam eam  
intelligant, quæ legitimæ portioni responderet, si pa  
ter rùm moreretur, l. quoniam novella 29. C. de inoff  
est. secus tamen est, quia fieri non potest, ut vivo patre  
dos in locum legitimæ succedat, quia nulla dum ex bo  
nis ejus debetur, d. l. I. S. simpubert, D. de coll.

XXVI.

Nam dotis aëstimatio fit inspecto  
tempore constitutionis.

Etenim hoc perpetuum & generale, ut quando  
nihil obstet aliud, contractus tempus spectari oport  
eat, L. Rutilia 69. de contr. evit. l. que legata 18. l. non  
omne 144. §. I. de R. J. l. si voluntate 8. C. de rest.  
vendit.

27. Ubi

XXVII.

Ubi verò legitima in dotem est, sit  
eius aestimatio ex tempore mortis.

*I. Cum queritur 6. juncta auth. Novissima, ubi D. d.  
C. de inoff. test.*

XXVIII.

Quo casu queritur, an minui possit  
per donationes cedula mortis? Negatur.

*Per l. 2. C. de jure dotium. Cum enim donationes causa moris capiantur ad instar legatorum, l. 1. §. 1.  
D. si quid in fraud. patr. l. utt. de mort. causa donat. &  
consequenter sicut legata ex hereditate delibentur,  
l. Legatum 116. de leg. 1. prius est, ut hereditas aliqua sit,  
quam ex ea quicquam delibetur. Atqui quo momen-  
to incipit esse hereditas, succedit dotalis constitutionis  
potestas, & vestes suas exercit, d. l. 2. C. de jur. dot.*

XXIX.

Ad aestimationem dotis etiam hæc  
spectat quæstio, an, si filia in constitutione  
dotis læsa fuerit, honorum, quæ superve-  
nerunt patri, rationem haberi oporteat,  
an verò eorum tantum, quæ pater consti-  
tutionis tempore habuit? Si æquitatem  
attendantamus, fieri debet aestimatio dotis

ex

*Id. L. 2.*

ex proportione illorum bonorum, quæ  
mortis tempore fuerunt.

Rationes nostræ assertio[n]is sunt istæ, quod ejusmodi renunciations, quibus filia dote constituta contentam se fore, nec quid amplius postulare pollicetur, odiosæ sunt, & juris civilis rationi contrariae, l.3. C. de collat. l. ult. de suis & leg. hered. Deinde quia in futurum tempus quo nimirum legitima debebitur, conferuntur. Unde, quia in illud dispositio conferitur, præcipue spectandum est, / Stichus 39. de man. test. l. quod sponsæ 4. C. ac don. ante nupt. Tertiò, quia istæ renunciations tacitam hanc conditionem habent, si legitimæ quā docunq; debebitur, Dd. ad l. qui superstitti 94. de acquir. hered. Quartò, quia ante tempus mortis renunciatio quantumvis jurata nullum potest propter tacitam conditionem habere effectum. Tandem cum contractus non ex eo tempore, quo stipulatio intervenit, sed quando ea utilis est vires suas habere incipiat, l. si Stichus 8. s. si quis ita, & l. quoties 14. S. l. de novat. in aestimatione læsionis incunda contractus tempus nihilominus inspici poterit, l. 2. S. scio, l. quod si minor 24. S. restitutio, l. verum 11. S. item non restituitur, D. de minor.

X X X.

Læsionis, ob quam agitur ad rescindēdam venditionem, æstimatio sit ex cōtractus tempore; & secundum communem valorem.

l. Si voluntate 8. C. de resc. vend. l. pretia rerum 63. D. ad l. falc. l. si servum 33. ad l. Aquil. l. Rutilia Polla, 96. de contr. emt. Cum enim pretia rerū pro locorum & tem-

C porum

porum varietate mutentur, non satis probata videtur  
læsio, si testes dicant, tanti rem nuncesse, quia potest  
accidere, ut res eadem manente bonitate aut statu for-  
te vel pluris sit vel minoris, pretio sc. ex aliis causis  
extrinsecus immutato, l.3. D. de condit. trit.

XXXI.

De qua læsione cum tractatur, non  
immerito quæritur, An habenda sit ratio-  
pacti de retrovendendo? Affirmatur.

Facit enim hoc pactum contractui adjectum par-  
tem pretii, l. fundi partem 76. de contr. emt. l. si venditor  
6. §. 1 in fin. D. de serv. export. l. u. l. D. de pact. inter emt. &  
vent. Distinguendum tamen est, an fuerit in conti-  
nenti adhibitum, an verò ex intervallo. Nam si in  
ipso venditionis tractatu intervenit, contractui  
inest illud pactum, quia quæ in continenti  
sunt, inesse videntur, l. juris gentium 7. §. quinimo,  
D. de pact. l. lecta 40. de rebus cred. ubi verò ex intervallo  
secutum est, & proinde ex mera liberalitate emtoris,  
partem pretii constituere nequit. Magis enim hoc ca-  
su accedit ad causam donationis & liberalitatis, argu-  
mento l. donari 29. de don. l. donari 82. de R. J.

XXXII.

Læsionis ex contractu locationis or-  
tæ aestimatio fit confusis omnium anno-  
rum, in quos locatio facta est, fructibus &  
pensionibus.

L. licet certis 8. C. de locato. Quia cum sequentium  
fertilitate compensari debet, quod priorum ubertati  
defuit. l. ex conducto 15. §. Papinianus 4. (alias incipit; f.  
anno)

anno D. locati Neq; enim tot videri debent locationes,  
quot sunt anni, sed omnium annorum unica & conse-  
quenter individua est locatio, licet multas & distinctas  
habeat præstationes, quia omnium rerum essentia sunt  
individua.

XX. XIII.

Donationis inofficioſæ, ex qua læſum  
ſe filius conqueritur, æſtimatio fieri debet  
computatis omnibus donationibus, &  
mortis inspecto tempore.

Illiſ ratio eſt, quod ex pluribus donationibus ſi-  
mul junctis fraudandi animus & quæ præſumatur, atq;  
ex una, qua sit universalis. Nec inter eſt an per unicam  
an verò per plures fraudem quis in legitima patiatur.  
Ex quo ſit, ut priores quoq; donationes, licet inspecto  
iničio non fuerint inofficioſæ, tamen revocari debe-  
ant, quia hic potiſſimum eventus ſpectandus eſt, ut ferè  
alias ſemper, quoties de fraude diſputatur, l. i. & ult, C.  
qui manu muti non poſſ. & fraud cum effectu accipienda  
eſt, l. i. in fn. D. de ſtatulib. l. ait pretor 10. §. 1. D. que in fr.  
cred. l. I. S. pen. D. ſi quid in fr. patr.

Mortis autem tempus ideò ſpectari debet, quia  
accidere potest, ut donator poſt factam donationem  
alia bona acquirat, ex quibus legitima mortis tempore  
ſilio dari poſſit, etiam ex patrimonii comparatione,  
quod ante donationem habuit. Nov. 92 vers. in tantum  
autem aucta quantitate, quantum habuit substantia  
patris, antequam donationibus exhauiretur.

XXXIV.

Æſtimatio quanti plurimi, quam  
in omnibus etiam ſtricti juris judiciis

C 2

locum

locum habere Dd. ajunt, potissimum frequentatur in l. Aquilia & condictione furtiva. XXXV.

In lege Aquilia sit damni in alieno servo aut pecude dati æstimatio à tempore damni retrosum numerando, quanti plurimi servus vel pecus eo anno fuerit. Damni verò in rebus inanimatis dati æstimatio tanti fieri solet, quanti plurimi res fuit proximis triginta diebus.

l. 2. l. ait lex 21. l. inde Neratius 23 §. 3. ad l. Aquil. Facienda tamen est æstimatio secundum commune judicium, non ex singulare affectione, l. si servum 33. in pr. d. l. ait lex 21. § fin. & l. seq. ad l. Aquil. l. 62. in fin. l. 63. ad l. Falc. §. illud. inst. de leg. Aquil. & comprehendit omnes expensas ratione læsionis contingentes, etiam operarum celsantium & impeditarum, tam præsentium, quam futurorum, argumento l. 3. si quadr. paup. fec. dic. l. 1. & l. fin. ff. de his, qui eff. vel deiec. l. 7. §. 4. ad l. Aquil.

XXXVI.

Æstimatio rei ablatæ in condictione furtiva hoc modo solet iniri, ut id tempus spectetur, quo res unquam plurimi fuit.

L. 8. §. 1. D. de cond. furt. ubi hæc additur ratio, quod semper moram sur facere videatur.

XXXVII.

In rerum permutationibus, quando rem

rem tradere nequeo, quia vel periiit, vel de-  
terior facta est, ita fit aestimatio, ut praestem  
quanti plurimi res fuit a tempore moræ  
usq; ad tempus condemnationis.

L 3. §. in hac. ff. commod. l. pen. & ult. ff. de cond. trit. ut  
in ceteris bona fidei judiciis. Idem esset si præstaretur,  
utro tempore pluris fuit, an moræ an condemnationis,  
ut loquitur Ulpianus in l. 3. §. ult. D. de act. emt. non ideo  
tamen excludetur condemnationis ejus, quod præterea  
intersit, quia aestimatio quanti plurimi non excludit  
præstationem ejus quod interest. Est enim ipsa res, que  
principaliter debetur, id verò, quod interest, est quid-  
dam accessoriuum.

X X X V I I I.

Ad aestimationem quanti plurimi te-  
netur quoq; Emphyteuta, qui canonem  
ad dictum diem & locum non solvit.

Quia hoc casu sola dies interpellat ad constitendum  
in mora debitorem, cum ad domum ejus ire creditor  
non debuerit, quod tamen regulariter facere tenere-  
tur, si de die & loco nihil convenerit, l. item illa 18. ubi  
not. D. de const. pec. Siquidem non solet contrahi mora,  
nisi per interpellationem factam congruo loco & tem-  
pore, l. mora 32. D. de usur. l. si pupillus 127. de V. O.

XXXIX.

Aestimatio ejus, quanti ea res est, vel  
quanti eam rem patet esse, continere de-

C 3 bet

bet veritatem , hoc est verum rei pre-  
tium.

L Inter hac 179. de V. S. l. 139. eod. l. tutor 8. ff. de in  
item jur. l. 2. S. ult. qui satiad. cog. l. novisimt 7. S. quod ait  
pretor, Quod falso tut. aut. l. S. fin. ff. Si quis jus dic. non  
obt. Solet tamen nonnunquam illa estimatio pro di-  
versitate actionum multiplicari, ut patet ex S. omnes &  
seqq. inf. de act. lat. prator 4. S. bac a. actio. ff. vi bon. rapt.  
l. 2. S. in bac actione 13. eod. si quis servum 9. S. 1. de serv. cor.  
l. item si 14. S. quadruplicatur 7. ff. quod met. ca. Interdum  
quoq; continet ea estimatio id, quod interest, ut in l. Si  
commissa 13 Rem ratam hab. l. 3. S. ult. uti poss. l. 4. S. in eum,  
de dann. inf. l. quoties 81. de V. O.

X L.

Eius, quod interest, estimatio, cum in  
facto non in jure consistat, saepe ad exigua-  
m summam propter probationum ino-  
diam reducitur.

L. quatenus 24. de R. J. l. ult. de stip. prator. Duplum  
tamen ex l. un C. de sent. que pro eo quod interest. excede-  
re non potest, nisi quando venditor ejus rei, qua creditori  
bus obligata est, convenitur ex stipulatione ad id,  
quod interest. Eo enim casu debet venditor conde-  
mnari in id omne, quod emtor ad inhibendam hypo-  
thecariam creditoris sive tortis sive naturarum nomine  
solvere coactus fuit. Non enim potest inhiberi hypo-  
thecaria, nisi offeratur & solvatur creditori totum,  
quod ei debetur, cum debiti partem solvendo non pos-  
sit pignus pro parte liberari, l. in executione 85. S. pen. de  
V. O. l. quand. u. 6. C. de diff. pign.

41. Qui

XLI.

Qui ex causa commodati mihi debet  
speciem, quæ perempta est, præstare potest  
æstimationem ejus vel boni viri arbitratu,  
vel præstito in litem jurejurando.

Quando scilicet nec judex, nec alius vir bonus æ-  
stimare potest rem absq; jurisjurandi delatione, quod  
evenit, cum ea perempta est post moram ante litem  
contestatam, l. in actionibus. S. plane, cum lege seq. D. de in-  
lit. jur.

XLII.

Disputationem claudat hæc quæstio,  
Quomodo annum legatum vel debitum  
uno certoq; pretio æstimandum sit? Di-  
stingvimus, an ex ultimè voluntate, an ve-  
rò ex contractu inter vivos debeatur.

Ubi enim ex ultimâ voluntate debetur, ea serva-  
tur forma, quæ præscripta est in l. computationi 68. ad. l.  
Falc. Quando verò ex contractu inter vivos aliquid  
annum debetur, attendi solet l. Si quis argentum  
35. S. Sin autem donator, versic. in rediti-  
bus autem, C. de donat.

F I N I S.

XII.

Qui ex caru comitabimini a pe-  
recium ducis determinatis est p[ro]p[ter]e posse  
ad ipsius eum in eiusdem locis iustificatio-

ne p[ro]p[ter]e in p[ro]p[ter]e iustificatione.  
Quandoque p[ro]p[ter]e nec intercessione posse  
dicitur quodcumque item apud intercessionem debet  
ad eum ad ipsius eum in eiusdem locis iustificatio-

XIII.

Dicitur tamen sicut dicitur p[ro]p[ter]e alio  
Quoniam omnium vestrum aetate spicula  
nunc certe p[ro]p[ter]e omnes vestrum aetate  
in primis vngnatis p[ro]p[ter]e vestrum aetate.

Et coram vestris vestrum aetate debocantur  
ad hoc vestrum aetatem vestrum aetatem debocantur et cetera  
deinde vestrum aetatem vestrum aetatem debocantur et cetera  
deinde vestrum aetatem vestrum aetatem debocantur et cetera  
deinde vestrum aetatem vestrum aetatem debocantur et cetera

S I N I T





**ULB Halle**  
005 132 614

3



WMA



# Farbkarte #13

	Inches	Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
	1	2									
	2	3									
	3	4									
	4	5									
	5	6									
	6	7									
	7	8									
	8	9									
	9	10									
	10	11									
	11	12									
	12	13									
	13	14									
	14	15									
	15	16									
	16	17									
	17	18									
	18	19									

B.I.G.

1618, 4<sup>b</sup> 5  
 RATIO  
 E  
**I M A-**  
**IBUS.**  
*M*  
*fortunante*  
*ESIDIO*  
*osultissimi Viri,*  
**II FOMANNI**  
*& in Acadenia Jenensi*  
*non provincialis Curia &*  
*essoris digniss. pro-*  
*bservandiss.*  
*troq. jure consequendo,*  
*lam proponit:*  
**LUS PINCKERUS**  
*N SIS,*  
*13. Junij.*  
**NNIS VVEIDNERI.**  
*D.G. XVIII.*